liquiditatem & *fusibilitatem* nanciscuntur; certe maximam ea societatem & analogiam cum *vegetabilium* terra habet: illa nempe, quæ in vegetabilium calcinatione & *cinerum elixatione* superstes est, & quam fœminæ nostrates abjiciunt, & *Aescherig* vocant, quæ ex omnibus vegetabilibus præparari potest. Hæc enim terra, licet inutilis & nullius frugis esse videatur; tamen maximam cum præcedenti terra mineralium, analogiam habet, & *magnetismum*, quod in arte vitraria liquet. Nam cum vitrarii, ex arena & silicibus, imo ex ipsa præfata terra minerali, vitra faciunt; quæ autem in fluxu *spissantur*, vel ob *salium* defectum, vel ignis excessum, ita ut prorsus dura fiant, ac coagulentur: quamprimum tamen prædicta terra ex *cineribus* injicitur, non modo statim tota vitri pasta fluxilior redditur, sed & magnum exinde, imo non raro ultra dimidium, accrementum sumit, & augmentum. Quod non modo magnam *vegetabilis* terræ cum *minerali* affinitatem, sed prorsus maximam similitudinem, harmoniam, & analogiam probat: cum hæc terra *etiam per se vitrescere* possit; Ut in Polonia aliquando nobis accidit, cum absynthii fæcibus. Quin imo, adeo *hæc terra* cum mineralibus vitris, quæ ex arenis & silicibus parantur, conveniens est, ut nulla re nisi *colore* inde discerni queat, qui *viridis* est, vel subcœruleus; indelebilem sui regni asterisum servans, nempe vegetabilem *viriditatem* exprimens: sed magno vitrariorum incommodo, qui clara magis, quam colorata vitra desiderant.. Hoc ergo est, quod inferre volo, dari in vegetabilibus *terram fusilem*, quæ basis eorum est, quemadmodum in *mineralibus*. Quis vero credat, ut trinam hanc analogiam probem, in *animalibus* quoque talem dari? *Terram* inquam *fusilem*, *vitrescibilem*, imo omnium *nobilissimam*; adeo ut vel totus Sinensium vasorum apparatus cum ea comparari nequeat. Altiora terræ animali mysteria insunt, quæ hoc loco indiscriminatim publicare nefas esset, & sacrilegium; sufficiat dixisse, magnam cum *præfatis duabus terris in homine* analogiam esse, imo *complementum*. O utinam ita consuetum foret, & amicos haberem! qui ultimam istam opellam, siccis & multis laboribus exhaustis ossibus meis, aliquando præstarent, qui inquam ea in diaphanam illam, nullis seculis corruptibilem substantiam redigerent, suavissimum sui generis colorem, non quidem vegetabilium virorem, tremuli tamen narcissuli ideam lacteam præsentantem; quod paucis quidem horis fieri posset, ut argumentum fierent divinæ omnipotentiæ, in die resurrectionis & clarificationis nobis eventuræ. Nonne melius illis foret, quam ut jam sub terra putrescerent, & semi-putrida publicis locis exposita, prætereuntibus, inprimis gravidis & pueris, hiantibus oculorum orbitis, dentibus nec dum absumtis, variisque faciei sinubus & absessibus, tremendum spectaculum essent, ut terribilem magis mortem, quam amabilem redderent. Hoc est quod concludere volo: *homo* vitrum est, *in vitrum redigi* potest, sicut & omnia animalia; *diaphanum*, omnium vitrorum nobilissimum, *fusile*, & sui generis colore tinctum, prioribus vitris mineralibus & vegetabilibus per omnia homogeneum. Qua vero manipulatione præparetur, non est propositi mei, propter varios abusus, hic propalare. Quanto labore veteres mortalium ossa com-

N. 2.